



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119193

§. 68. Bellum ab Angliæ Rege Batavis denuntiabam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

§. LXVIII.

Sæc XVII.
A. C. 1672.*Bellum ab Angliæ Rege Batavis denuntiatum.*

Biduo post factam declarationem Rex Hollandis bellum denuntiavit, inique foedere cum Galliarum Rege, Coloniensi Electore, & Monasteriensi Episcopo, navale prælium commisit, æquato utrinque cædis dedecore, & triumphii gloria; cum interea Franciæ Rex rapido victoriarum cursu veluti Bataviam pervagans, intra viginti duarum dierum angustias quadraginta urbes hosti eriperet, uti numismata in Galliis excusa exhibent, cum tamen quarundam urbium obsidiones longius tempus tenuissent, & Noviomagum, Gravia, Crepacorium, Genepe & Nardanum nonnisi Mense Julio post divulgatam hanc monetam fuissent expugnata: Ast nil adulatoribus est familiarius, quam Regum suorum victorias augere: Utut autem sit, id certum est, quod Franciæ Rex nunquam gloriosiores suos reddiderit triumphos, quam dum in expugnatis urbibus Calvinistarum Tempia vero Dei cultui restituit, ac religionem Catholicam revocare adlaboravit: Postquam enim Ultrajectum unacum Aurelianensi, & Monmutho

*Newville hist.
d'Holi. t. 4.
c. 3. p. 95.*

Ss 4

Duci-

Sæc. XVII. Ducibus victor die quinta Julii ingre-
 A. C. 1672. diebatur, atque a Calvinistis Ecclesia-
 rum claves receperat, mox die nona
 ejusdem Mensis Cathedralē Ecclesiam
 per Bullionium Cardinalem ab hæreti-
 corum profanis ritibus expurgari & Ca-
 tholico ritu sacrari iussit: Evertitur
 primo Calviniani Declamatoris Cathedra,
 auferuntur scamna, lavantur a-
 Monialibus Altaria & Templi pavimenta;
 postea decantato Hymno Ambrosiano
 Cardinalis rem Divinam solemnī pompa
 peragit. Eadem die Neercastellius
 Episcopus Castoriensis atque Apostolicus
 Papæ Vicarius urbem ingreditur, unacum
 triginta Ecclesiasticis, qui populum
 octoginta & amplius annos ab Ecclesie
 Romanæ hostibus deceptum ad veritatis
 semitam revocarent. Restaurato igitur
 Ultrajectensi Episcopatu Bullionius
 Cardinalis pari Religions Zelo Noviomagi
 & Graviæ Ecclesias Catholicæ religioni
 consecravit, Rex tamen Calvinistis
 sectæ suæ tolerantiam pollicitus est,
 atque inter pacis articulos Hollandis
 præscripsit, ut in omnibus ditionis
 suæ urbibus liberum publicumque
 Religionis Catholicæ exercitium
 concederent.